Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

firmitas est nostra fortitudo. Quare ergo sexta hora?
Quia etate seculi sexta. Computa in euangelio tamquam unam
horam unam etatem. ab adam usque ad noe. secun
dam a noe usque ad abraham. terciam ab abraham
usque ad dauid. quartam a dauid usque ad transmi
grationem babylonie. quintam a transmigratione
babylonie usque ad baptismum iohannis. inde
agitur sexta. Quid miraris? Venit ihesus et humi
liando se uenit. Ad puteum fatigatus uenit.
quia infirmam carnem portauit. Hora sexta. quia
etate seculi sexta. Ad puteum. quia ad profunditatem
huius habitationis nostre. Vnde dicitur in psalmo.
De profundis clamaui ad te domine. Sedit ut
dixi. quia humiliatus est. Et uenit mulier for
ma ecclesie. non iam iustificata sed iustificanda.
Nam hoc agit sermo. Venit ignara. inuenit eum.
et agitur cum ea. Videamus quid. uideamus quare uenit
mulier de samaria haurire aquam. Samarita
ni ad iudeorum gentem non pertinebant. alieni
gene fuerunt. quamuis terras incolerent uicinas.
Longum est originem samaritanorum retexere.
ne nos multa teneant. et necessaria non lo
quamur. Sufficit ergo ut samaritanos inter alieni
genos deputemus. Et ne hoc me auda
cius arbitremini dixisse quam uerius. audite
ipsum dominum ihesum quid dixerit de illo sama
ritano uno de decem leprosis quos munda
uerat. qui solus rediit ut gratias ageret. Nonne
decem mundati sunt. et noue ubi sunt? Non erat alius
qui daret gloriam deo. nisi alienigena iste.
Pertinet ad imaginem rei. quod ab alienigenis
uenit ista mulier. que typum gerebat ecclesie.

Ventura enim erat ecclesia de gentibus. alienigena
a gente iudeorum. Audiamus ergo in illa nos. et in
illa cognoscamus nos. et in illa gratias agamus
deo pro nobis. Illa enim figura erat non ueritas. quia et ip
sa premisit figuram et facta est ueritas. Nam credi
dit in eum. qui de illa nobis figuram pretendebat.
Venit ergo haurire aquam. Simpliciter uenerat
haurire aquam. sicut solent uel uiri uel mulieres.
Dicit ei ihesus. Da mihi bibere. Discipuli enim abie
rant in ciuitatem. ut cibos emerent. Dicit ergo mu
lier illa samaritana. Quomodo tu iudeus cum sis
bibere a me poscis. que sum mulier samarita
na? Non enim coutuntur iudei samaritanis. Vide
tis alienigenas. Omnino uasculis eorum non
utebantur. et quia ferebat secum mulier uasculum
unde aquam hauriret. eo mirata est quia petebat
iudeus ab ea bibere. quod non solebant facere iudei.
Ille autem qui bibere querebat. fidem ipsius mulieris
siciebat. Denique audi quis petat bibere. Respondit ei
ihesus et dixit ei. Si scires donum dei et quis esset qui tibi
dicit da mihi bibere. Agit quasi accepturus. et affluit
tamquam saciaturus. Si scires inquit donum dei. Donum
dei est spiritus sanctus. Sed adhuc mulieri tecte lo
quitur. et paulatim intrat in cor. fortassis iam docet.
Quid enim ista hortatione suauius et benignius?
Si scires donum dei. et quis est qui dicit tibi da mihi bibere.
tu petisses ut daret tibi aquam uiuam. Huc usque suspendit.
Viua aqua dicitur uulgo que de fonte exit. Illa
enim que colligitur de pluuia in lagenam aut
in cisternas. aqua uiua non dicitur. Et si de fonte ma
nauit. et in loco aliquo collecta stetit. nec ad se
illud unde manabat admiserit. sed interrupto